

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Simon Henricus

**Oratiuncula De Nobilissima Consultandi Dexteritate in publico & solemni  
magistrali actu consensu & iussu amplissimae Facultatis Philosophicae in ... Ad  
Varnum Athenaeo conscripta, & 25. Maii recitata a M. Simone Henrici Chilonio-  
Holsato**

Rostochi[i]: Pedanus, 1626

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729452387>

Druck    Freier  Zugang



Ruppin 1626  
Simon Henrici



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn729452387/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729452387/phys_0002)

DFG

Phil.

R. M. p. 1

Oratiuncula  
DE  
**NOBILISSIMA**  
**CONSULTANDI DEXTE-**  
ritate in publico & solemini magistrali actu  
consensu & jussu amplissimæ FACULTATIS PHI-  
LOSOPHICÆ in florentissimo ac celeberrimo AD-  
VARNUM ATHENÆO conscripta, &  
25. Maij recitata

*M. SIMONE HENRICI*  
Chilonio-Holsato.



RostochI

Type Johachimi Pedani Academia typog.  
Anno M, DC, XXVI,

Alte

**Illustrissimo & Potentissimo Principi ac  
Domino,**

**DN. FRIDERICO,**  
**Hæredi Norvegiæ, Duci Schlesvici, Holſa-  
ſatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, comiti Oldenburgici &  
Delmenhorſtiæ, Muſarum Nutritori magnificenterissimo,  
Domino & Evergetæ ſuo clementiſſimo, hoc quicquid  
eft humilime inſcribit, atq; pacem pacificam, gra-  
tiam gratiorem, felicitatem felicis-  
ſimam precatur.**

**E**dite Dux Muſis, & ijsdem dedit e totus,  
confuetos iterat noſtra Thalia ſonos.  
Pernovit Lippus, pernovid tonſor amuſiſſim.,  
Quod datur ingrato pejus in orbe nihil.  
Hoc quoties mecum memori ſub pectore volvo,  
prædico, quæ peperit *Gratia Veftra* mihi.  
Prædico quod quondam Borſholmia vidit Alumnū  
confenſu veftro me duo luſtra ſuum.  
Prædico quod ſumptu, *Princeps celiſſime*, veftro  
Roſtochij ſtudijs invigilate datum.  
Prædico quod licuit mitram petiſſe Magiſtri  
auxilio veftro; quiſ meliora velit?  
Non opis eſt noſtræ dignæ præconia laudis  
ſolvere. nam ſupererat *Gratia Veftra* fidem.  
Da Deus altitenens, coeli qui ſidera torques  
*Princepe Magnifico* præmia digna ferat.  
Stet vigor imperij, nocitura pericula pellas,  
des pacem, nomen ceu *FRIDERICU S* habet.  
Suppliciter repeto, repeto: Dux optime, perge  
perge meis ſtudijs perge favere precor.

*Illustriss. Veftra Celiſſud. beneficiarius  
bumil.*

*M. SIMON HENRICI*



N. N.



Uditores, neminem non gravissimo admirationis ariete percuti, quoties tam decorum hujus Universi Systema altiori mentis indagine secum expendit, inficias ibit, non nisi Corydonis cremore saturatus. Si enim in sua principia ab intelligente aliquo resolvatur, ita ut ea, quantum humana fert capacitas, mentis aciei proprius subjiciantur, quanta quæso rationum congeries efflorescit, quanta stuporis materia sese sistit conspicendam, quot animi contemplationes, quot oculorum taciti intuitus, quæ membrorum omnium elicita concussio, quæ lætitiae conceptæ myriades emergunt? Et ne fidei vanus habcar in scenam prodire jubeo, sapientiæ fontem inaccessum, potentia abyssum, justitiæ amissim authorem Deum: materiam, ne analogiam quidem veræ realitatis repræsentantem: ordinem concinnum, inhærenti pulchritudine de meliori nota commendatum: rationem impulsivam, generalissimam ac principem gloriam Dei; specialem & subordinatam, usui hominis destinatam, quem poli Triarcha tantis dotibus exornavit, ut si naturā illius ad sublunaria hæc quæq; conferre susceperis, omnia à tergo illi relinqu videbis. Quis illam Numinis veri contemplationem, illam in judicando solertiam, in indagandis rebus perspicacitatem, in erroribus conficiendis acrimoniam, in veritate apprehendenda sollicitudinem, condigno non extolleret encomio? Quæ omnia, & sexcenta alia, nobilitate haud inferiora, intimo pectoris humani penetrali

A 2

tra

trabali clavo adfixa. Et licet h̄ic ingens seſe ostendat di-  
versitas, ita ut raro h̄ec omnia conjunctim sumpta in-  
uno aliquo individuo sedem fixisse animadvertis, tamen  
ea, quæ uni desunt, in altero ſupplentur, & virtus h̄ec  
in illo, alia in alio radices egit, ut ſi à ſingulis suas inſtas  
virtutes mente abſtrahas, citra pulveris tactum perfe-  
ctum omnium virtutum chorūm conſequaris conſtitu-  
tūn. Sub quarum classem cum cadit & illa nobiliflma in  
consultando dexteritas, in iudicando reſtitudo, non ab re-  
facturum me puto, ſi eam conſenſu & iuſſu clarissimorum  
Dominorum Præceptorum publico hoc loco non artiſ-  
cioſo verborum papavere, quod meo me pede metiens  
rhetorum ſcholis & Agamemnonis Talthybio remitto,  
paucis perſtringam. Vos vero Auditores æternūm colen-  
dissimi, vos eā, quā par eſt obſervantia compello, ut meā  
audaciam in tractanda hac tam ardua re vester Favor  
excuset, meam importunam garrulitatēm veſtra beni-  
gnā Attentio perferat, provinciam meis humeris impa-  
rem vester Candor ſublevet, ut ita veſtræ munificentiæ  
filum manū tenens, cæca labyrinthi, quem ingredior,  
præcipitia exuperem. At primū quis non illud omni-  
laude dignissimum iudicabit? quod illum autorem habet,  
cujus nutui & iuſſui fasces submittere coguntur, quæ  
cunq; mundi complexu continentur, cuius potentia nul-  
lis limitibus clauditur, ſcientia nullis errorum maculis  
involvitur, qui omnibus unitiſſimè præſens dominatur,  
in omnibus viget, vivit & motū perpetuat. Si enim evenire  
ſolet omnibus bene philosophantibus, ut res quasq; crea-  
tas admirando ſuspiciant animo; quantò magis in do-  
norum divinitūs collatorum conſiderationem mens di-  
rigenda eſt, quæ ad Dei naturam proximè accedunt, quæ  
veſtigia ipsius eſſentiæ, quæ ſermones taciti, divinæ  
maje-

majestatis existunt; quæ quasi consopitus igniculus deformatæ & perditæ imaginis divinæ in corporis humani massasunt abstrusa, ita ut inibi admotis sacri Flaminis ventilbris possint excitari, luculentasq; flamas de se se diffundere. Si artificiosa quæc; summo habeamus loco, quo putabimus esse habenda illa pretio, quæ non ars, nō ingenij subtilitas nō humana industria paravit. Sed Deus, Deus dicere volui, cuius soli sunt cœli & terra, humanæ indigentia indulsit, indulta rebus necessarijs adhiberi jussit, adhibita suâ clementi gratiâ moderatur, moderata lætissimo fine terminat. Infinita sacrosanctæ Triados sapientiæ admiramur, quā in machina mudi creanda ostendivolut; quid non suspensis deveneremur animis, *si in nobilissime sue creature præcordijs* eandem collucentem videamus? Caveat sibi suos coccysmos iterato insusurrans cucus, ne, dum hoc sapientiæ miraculum magis per omnia creata, quām in una aliqua specie radijs suis respligere affirmat, suo prodat judicio, cuius sit commatis & farinæ. Immò si noctuæ adinstar ad clarissimum hoc jubar cæcutire incipit, corrupto & imbecilli suo intellectui id referat acceptum. Simulacrum enim illud in sua natura perfectum & evidens, quoad hominem concernit, permanet, etiamsi quis, nescio quo Palladis butyro delibutus, vel Circeo poculo potatus, insufficienter id ipsum apprehendit. Apollinis vexillo indignum illum dixeris, qui divinam sapientiam *circa hominum mentem versari*, nec in civilis vitæ conservatione coruscare negaverit. Quis nervus erit patriæ, si civilem sapientiam inde propulses? quæ basis reipublicæ relinquitur, nisi probata consultationis norma administretur? quæ stabilitas aulis, quod robur dynastarum palatijs futurum, nisi dexte-


titate

itate boni regiminis provideantur ? quæ salus subditis,  
quæ incolumitas urbibus, quæ integritas privatis parie-  
cibus, nisi adscitâ præmaturi judicij æquitate gubernen-  
tur ? ô Veneranda consultatio , quantis scates redundasq;  
bonis ! Tu veritatis conservatrix, falsi depultrix : tu patriæ  
vigorem reparas : tu fortunis salutem quæris : tu ab in-  
nocentium jugulis injurias, vim, arma retorques : in-  
te vita multorum vertitur. Quibus te eloquijs exornem,  
ô amplissima virtus ! Tu juvas, juvas ? immo sæpiculè  
à morte revocas ; sine te nemo bene, immo ne vivere  
quidem potest. Approbas quicquid judicio profectum,  
vigilijs comparatum, præclaris exemplis adauctum, in-  
dustriâ elaboratum, suscipis sublime, suades utile, urges  
necessarium, permittis honestum : quid est, si hæc non  
ardua est virtus ! Quæ tacita omnibus hunc in modum  
loqui videris : nullum commodum regno nisi per me,  
nulla prosperitas bello nisi per me, nulla firmitas paci-  
nisi per me, nulla dexteritas magistratui nisi per me, nul-  
la opibus illælio nisi per me, per me multi vindicantur à  
flammis, ferro, hostiumq; minis. Agite viri Magnifici,  
qui meis castris militatis, reputate vestram præstantiam,  
meo lacte acquisitam, intuemini pensiculatiū vestram  
amplitudinem, vestram in judicando sagacitatem, ve-  
stram in consilijs instituendis gravitatem, toti efferemini  
lætitia, quod me matrem vestram nacti estis, quod ab u-  
beribus meis pependistis, quod meo auxilio futuros pro-  
spicitis casus, prospectos futi evitatis. Etenim illa omnia  
tota, tota inquam, quæ possidetis, mea sunt ; nihil inge-  
niū, nihil copia, nihil vires, nihil rerum mundanarū re-  
gina pecunia, vobis pepererunt. Ingenij subtilitates mē-  
tem ex ignorantiae tenebris ad scientiæ solem transfe-  
runt ; vestrā in deliberando providentiā adjuvatur totus  
homo.

homo, patria, regumq; turris: Proponamus, quæso, nobis ante oculos giganteâ fortitudine illustrem, sed nullâ judicij dexteritate qui polleat, cui vel Birria Terentianus in consultationis palæstra palmam præripiat; nonne hunc meritô conferes nuci sine nucleo, testudini sine sono, ovo sine vitello, ceraso sine carne & pedicillo? Quid? Belluæ non hominis est robur, quod postpositis consilijs exercitur: opibus solitarijs non posse alicujus salutem sartam tectam conservari, lippis & tonsoribus innotuit. Ancillares quidem operas expedient, sed principatum non obtinent, salutarem vestram dextram sibi supponi expertunt, qui Lamiæ cacoëthes ad inferos amandatis, qui unice in id studij, ne vestro tanquam Perillus pereatis invento, qui non ociosi, sed negotiosi, non vagabundi, sed cogitabundi, non Marte, sed arte, non præsidio, sed studio, non gladijs, sed consilijs, res arduas deducitis in actum, qui incogitantiæ arcem, omnium malorum congluvie suffultam, omni molimine devitatis. Descendite, quæso, mecum in eartum rerum aream, ex quibus initium dicit præclara consultandi ratio, & virtutibus in universum sumptis ejus generationem pronis pedibus concedetis. Nullam enim virtutem sentietis ab hac immunem, nullam alienam, omnis dico virtus, omne quod virtutem redolet, ad ejus constitutionem confluit, illi essentiam largitur. Singularem singularum consensionem adducere, & operosum foret, & Dominos Auditores tædio aliquo oneraret. Vela itaq; mihi contrahenda, nec cymba mare hue illuc transcurrendo, sui cursus nequem modum necq; finem faciat. Sed silentij nube obvolvi non potest sedes, in qua hæc consultandi magistra fixa est, quæ non exterior aliqua corporis superficies, non cor-

pus

pus ipsum, aut alia ignobilis corporis portio; sed per am-  
mi vireta pascitur, ut sic nobilissima pars hominis nobi-  
lissimum contineat accidens: Occupatur & usum  
suum exercet circa omnes disciplinas, circa omnes fa-  
cultates, circa omnes res, quæ veniunt in quæstionem:  
componitur è legitimo de rebus judicio: conductus ad verita-  
tis indagationem, & falsi depulsionem: inbaret dunta-  
xat sapientum animis, stolidæ rationis ductum sequen-  
tes summo prosequitur odio: agit hæc virtus in ec-  
clesiasticis, agit in politicis, agit in œconomicis: Bel-  
lum indicit incitantia, temeritati, cogitationum irre-  
sistibili: classem omnium virtutum permotus, cum ijsdem  
conjunctionem contrahit: Saniores eandem quasi pro aris  
& focis propugnant, quorum momentosis rationibus &  
prægnantibus testimonij summam accipit lucem, sym-  
mum splendorem, nitorem, vigorem. Accurramus, Do-  
mini Auditores, accurramus, hanc sinu gestemus, am-  
babus ulnis amplexemur, hanc in omnibus nostris actio-  
nibus habeamus comitem, auxiliatricem, ducem. Illa,  
patriam ab eversione defendit, illa salutem omniū quæ-  
rit, illa tenebricosis solem subministrat, secundas res or-  
nat, sinistris refugium aperit. Floreat ergo foris, floreat  
domi, pernoctet in rebus publicis, rusticetur in agris, pe-  
rigrinetur cum omnibus in itinere. Sic patriæ salus o-  
ptato constabit tenore, incolitas manebit regnis, o-  
mnium fortunæ præsentissimo eripientur periculo, nul-  
lius existimatio injuriâ adficietur, hostium tela retor-  
quentur, vitâ tranquilliori læti perfruemur.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn729452387/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729452387/phys_0011)

DFG




Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn729452387/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729452387/phys_0012)

DFG

majestatis existunt, quæ quasi consopiformatae & perditæ imaginis divinæ in massasunt abstrusa, ita ut inibi admicventilabris possint excitari, luculentam diffundere. Si artificiosa quæc summum quo putabimus esse habenda illa pretio ingenij subtilitas nō humana industria Deus dicere volui, cujus soliū sunt coindigentiae indulxit, indulta rebus necesse fit, adhibita suâ clementi gratiâ moderissimo fine terminat. Infinita sacrofanciatiâ admiramus, quā in machina mudi coluit; quid non suspensis devenemus lissimæ sive creature precordijs eandem deamus? Caveat sibi suos coccysmos cuculus, ne, dum hoc sapientiæ mira omnia creata, quām in una aliqua si filgere affirmat, suo prodat judicio, & farinæ: Immo si noctuæ adinstar a jubar cæcutire incipit, corrupto & imctui id referat acceptum. Simulacrum natura perfectum & evidens, quoad nit, permanet, etiam si quis, nescio q delibutus, vel Circeo poculo potatus psum apprehendit. Apollinis vexill dixeris, qui divinam sapientiam circa versari, nec in civilis vitæ conservatio verit. Quis nervus erit patriæ, si civile propulses? quæ basis reipublicæ relin consultationis norma administretur lis, quod robur dynastarum palatijs fi



us de  
uman  
minis  
le sefe  
loco,  
rs, nō  
Deus,  
manæ  
eri jus  
ita læ  
apien  
di vo  
n nobis  
em vi  
urrans  
is per  
uis re  
amat  
m hoc  
ntelle  
in sua  
oncer  
butyro  
ter id  
illum  
ntem  
negat  
m inde  
robata  
tas au  
dexte  
ritate